

MEDITATIONES PHILOSOPHICAE
DE
NONNVLLIS
AD
POEMA
PERTINENTIBVS,
QVAS
AMPLISSIMI PHILOSOPHO-
RVM ORDINIS
CONSENSV
AD D. SEPTEMBRIS MDCCXXXV.
H. L. Q. C.
ERVDITORVM DIUDICATIONI SVBMITTIT
M. ALEXANDER GOTTLIEB
BAVMGARTEN,
RESPONDENTE
NATHANAELE BAVMGARTEN.

HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS IOANNIS HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

KEN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALIE



Vod ab ineunte pueritia non mirifice solum utriusque nostrum arrisit studiorum genus; sed suadentibus etiam, quibus obsequi par erat, sapientissimis viris non plane neglectum est: in eo iam publice qualesunque nostras vires experiri constituimus.

Ex quo enim tempore ad humanitatem informari cooperam, incitante dexterimo tirocinii mei moderatore, quem sine gratissimi animi sensu nominare non possum Cl. CHRISTGAVIO gymnasii, quod Berolini floret, correctore meritissimo, transiit mihi pene nulla dies sine carmine. Succrescente paullatim aetate, licet iam in ipsis scholasticis subselliis ad seueriora magis magisque flectendus esset animus, & academica tandem vita prorsus alios labores, aliam diligentiam postulare videretur: ita tamen addixi me litteris necessariis, ut poesi tam a castissima iucunditate, quam ab virilitate praeclera mihi commendatissimae nuntium omnino ^{narrare} mittere nunquam a me potuerim impetrare. Inter ea contigit diuino nutu, quem veneror,

vt iuuentutem ad academias maturecentem docendi poeticae cum philosophia, quam vocant, rationali coniunctam mihi demandaretur prouincia. Quid hic erat aequius, quam praecepta philosophandi transferre in usum, qua se prima nobis offerebat occasio? Quid vero indignius dicam, an difficultius philosopho, quam iurare in verba aliorum, & scripta magistrorum stentorea voce recitare? Accingendus eram ad meditationem eorum, quae de more cognoueram historice, per usum, imitationem, nisi coecam, lusciam tamen, & exspectationem casum similium. In eo quum essem mutata rerum iterum mearum facies, & conniuentibus oculis in lucem Fridericianae protractus sum. Vehementer abhorreo temeritatem illorum, qui cruda quaevis & indigesta porriunt in apricum, & male sedulam calamorum industria prostituant magis orbi litterato, quam probant. Factum hinc esse non diffiteor, vt, quod academiarum a me sanctissimae leges postulant, illi non prius satisfacrem officio. Nunc autem vt fiat satis, materiam eam elegi, quae multis quidem habebitur tenuis & a philosophorum acumenie remotissima, mihi videtur pro tenuitate virium mearum satis grauis, & pro rei dignitate satis commoda ad excrescendos animos in uestigandis omnium rationibus occupatos. Ut enim ex vna, quae dudum mente haeserat, poematis notatione probari plurima dicta iam centies, vix semel probata posse demonstrarem, & hoc ipso philosophiam & poematis pangendi scientiam habitas saepe pro dissipissimis amicissimo iunctas connubio ponerem ob oculos, vsque ad §. XI. in euoluenda poematis & agnatorum terminorum idea teneor, deinde cogitationum aliquam poeticarum imaginem animo concipere labore a §. XIII -- LXV. post haec methodum poematis lucidam, qua communis est omnibus, eruo a §. LXV-

§. LXV--LXXVII. tandem ad terminos poeticos conuersus eos etiam ponderare curatis instituo §. LXXVII-CVII. Definitionis nostrae foecunditate declarata eandem conferre vi- sum est, cum non nullis aliis, & in fine de poetica generali tria verba subnectere. Nec plura permisit instituti ratio, nec me- ditantis imbecillitas meliora, grauiora posthinc & maturiora forte largientur DEVS, tempus, industria.

§. I.

ORATIONEM cum dicimus, *seriem vocum repraesenta-
tiones connexas significantium intelligimus.*

Vnam hanc vocem testem citare possemus, si quis defin- nitiones terminorum clarorum omnes inutilitatis reas ageret. Clাre intelligunt, qui nondum aere lauantur, quid sit oratio, nisi tamen distinctus eius, quem sequimur, significatus exponatur, mens va- ga fluctuat, & quam notionem potestatemue voci tribuat in praesenti, prorsus ignorat. Orationem cum meditatione & tentatio- ne commendat Theologus, in qua tamen voces sunt modi defini- nitionem perperam ingressfuri. Orationem logicus a schola di- ethus cum suo Aristotele τὸν εἶχω λογον τὸν προΦορικὸν vocat, id, cuius partes significant separatim, & verminante iecinore, sitne syllogismus oratio, an orationes, disquirit. Orationem magna voce rheror edicit sedulo distinguendam a declamatione, vtne pugnam & palaria confudisse videamur. Liceat communem lo- quendi usum sequutos eruere, quid illud sit, quod larius oratio- nem vocamus quotidie, si quis vero sermonem maluerit appellare non bella mouebimus nullos habitura triumphos. Qui sermo- nes Horatii cogitarit, videbit hic aptius a termino sermonis ab- stineri.

§. II. *Ex oratione repraesentationes connexae cognoscen-
dae sum: §. I.*

Minor est axioma definitionis, maiorem dabit definitio si- gnificantis sine signi, quæ, vt ontologica satis nota, omittitur.

Petimus enim hanc veniam, ut, qua inter emunctoris naris philosophos pro demonstratis & definitis habent sine definitione, dum eandem ob oculos ponamus, sine demonstratione adhibere concedatur. Citationes hypothetice impossibilis. Demonstrationes partim aliunde transfundenda, partim non sine *μεταβασι* *εις αλλο γενε* essent necessariae. *Cicer Tusc. Quæst. l. V. p. m. 250.* Verumtamen mathematicorum iste mos est, non philosophorum. Nam geometrae cum aliquid docere volunt, si quid ad eam rem pertinet eorum, que ante docuerunt, id sumunt pro concessione & probato (definito) illud modo explicant, de quo ante nihil scriptum est. Philosophi quacunque rem habent in manibus, in eam que conueniunt, congerunt omnia, et si alio loco disputata sunt. Egregiam vero laudem & spolia ampla sophorum *αγεωμετρων*.

§. III. REPRÆSENTATIONES per partem facultatis cognoscituae inferiorem comparatae sint SENSITIVAE.

Quoniam appetitus quam diu ex confusa boni representatione manat, sensitivus appellatur: confusa autem cum obscurâ representatione comparatur per facultatis cognoscituae inferiorem partem, poterit idem nominis ad ipsas etiam representationes applicari, ut distinguantur ita ab intellectualibus distinctis per omnes gradus possibiles.

§. IV. ORATIO representationum sensituarum sit SENSITIVA.

Sicut nemo philosophorum eo profunditatis descendit, ut intellectu puro perfexisset omnia, nunquam haerens in confusa quorundam cognitione, adeoque oratio nulla paene tam est scientifica & intellectualis, ut ne vna quidem occurrat per omnem nexus sensitiva idea, ita potest etiam distinctae praesertim cognitioni dans operam inuenire has vel illas representationes distinctas in oratione sensitiva, manet tamen sensitiva, ut prior abstracta & intellectualis.

§. V. Ex oratione sensitiva representationes sensituarum connexae cognoscenda sunt. §. 2. 4.

§. VI.

DE NONVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 7

§. VI. *Orationis sensitivae varia sunt 1) repraesentationes sensitivae, 2) nexus earum 3) voces seu soni articulati litteris constantes earum signa.* §. 4. 1.

§. VII. ORATIO SENSITIVA PERFECTA est, cuius varia tendunt ad cognitionem repraesentationum sensituarum. §. 5.

§. VIII. Quo plura varia in oratione sensitiva facient ad excitandas repraesentationes sensitivas, eo erit illa perfectior. §. 4. 7.

§. IX. Oratio sensitiva perfecta est POEMA, complexus regularum ad quas conformandum poema POETICE, scientia poeticae PHILOSOPHIA POETICA, habitus conficiendi poematis POESIS, eoque habitu gaudens POETA.

In recoquendis harum vocom, quas scholastici dicunt, definitionibus nominalibus parent compilanda Scaligerorum, Vossiorum plurimorumque refertissima scrinia. Libentes tamen manum de tabula, si hoc vnum monuerimus. Poema & poesin cum Lucilio, Nonius Marcellus, Aphthonius, Donatus videntur distinguere tantum, ut maius & minus, & poeseos i. e. longioris cuiusdam poematis, poema facere partem aliquam & sectionem, ut differant, sicut Ilias & nauium graecarum catalogus apud Homerum. In quo tamen a Vossio iam oppositus illis est usus.

Quem ponet arbitrium est & ius & norma loquendi.

Quando tamen idem Ciceronem concedit vti termino poeseos loco poematis, omne punctum vix ferer. Citata enim loca contrarium innuere videntur: Quaeft. Tuscul. l. V. p. m. 269. quum Homero non poesin sed picturam tribuit, artem omnia & ea, quae sub oculos cadunt, imitandi in coeco miratur, non vero huius artis effectum, saltim non exclusue, quod tamen necessarium esset, si hinc insolutus vocis poeseos significatus probari posset. Alter locus non in libro VI, vt in duabus Vossii editionibus scriptum legitur, sed in IV. Quaeft. Tuscul. p. m. 243. poesin Anacreontis totam esse dicit amatoriam. An vero hic queat substitui vox poema in numero singulari: an potius omnem fundendorum carminum impetum apud Anacreontem ad amores canendos vnicce propendere doceat

Cicero

Cicero, & poesis ita retineat vindicatam ipsi potestatem, non diffusculter, nisi fallimur, poterit dijudicari.

§. X. Poematis varia sunt, 1) repraesentationes sensitivae 2) earum nexus 3) voces earum signa. §. 9. 6.

§. XI. POETICVM dicetur quicquid ad perfectionem poematis aliquid facere potest.

§. XII. Repraesentationes sensitivae sunt varia poematis §. 10. ergo poeticae §. 11. 7. quum autem sensitivae aut obscurae aut clarae §. 3. sint, obscurae & clarae sunt repraesentationes poeticae.

Possunt quidem eiusdem rei repraesentationes huic obscurae, illi clarae, tertio denique distinctae esse, quando vero de repraesentationibus oratione significandis sermo est, eae intelliguntur, quas loquens intendit communicare. Hic ergo quaeritur, quas poeta in poemate significare repraesentationes intendat.

§. XIII. In repraesentationibus obscuris non tot continentur notarum repraesentationes, quot ad recognoscendum & distingueendum ab aliis repraesentatum sufficiunt, continentur vero in repraesentationibus claris (per defl.) ergo plura varia facient ad communicandas repraesentationes sensitivas, eae si fuerint clarae, quam si fuerint obscurae. Ergo poetica, cuius repraesentationes clarae, perfectius, quam cuius obscurae, & clarae repraesentationes magis poeticae §. 11. quam obscurae.

Hinc eorum refutatur error, qui quo obscurius & intricatus effutire possunt, hoc se loqui somniant ποντικωτερος. Neuri quam vero pedibus itur in illorum sententiam, qui optimos quosque poetas ideo reiectum eunt, quia oculis male inunctis meras se ibi tenebras spissamque videre noctem arbitrantur. e.g. Persii Sat.

IV. v. 45. 46.

Si Puteal' multa' cautus vibice flagellas

Nequicquam populo' bibulas donaueris aures.

notam cimmeriae caliginis inuret temere historiae Neronianae ignarus,

DE NONVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 9

rus, quam qui contulerit aut latina nescit, aut sensum assequitur,
& latis claras representationes experitur.

XIV. *Repraesentationes distinctae, completae, adaequatae,*
profundae per omnes gradus non sunt sensitiae ergo nec po-
eticae. §. II.

A posteriori experiundo patet veritas, si talibus repre-
sentationibus praegnantes praetegerantur versiculi homini philoso-
pho simulque poëtos non prorsus ignaro: quales e. gr.

Quum qui demonstrant alios errasse, refutant,

Nemo refutabit, nisi demonstretur ab illo

Erratum alterius: Qui demonstrare iubetur.

Hunc logicam sciuisse decet, quicunque refutat

Ergo, tamen logicus non est, non rite refutat. per vers. I.
vix admitteret eos omnibus numeris absolutos, licet ipse fortean
ignoret, quam ob causam sibi reiiciendi videantur nec in forma,
nec in materia peccantes. Hac autem est præcipua ratio, cur
philosophia & poësia vix inquam in una sede morari posse pu-
tentur, illa maximopere sectante conceptuum distinctionem,
quam haec tamen extra suos circulos ascendentem non curat. Si
quis tamen in utraque facultatis cognoscitiva parte excellat, &
quilibet suo adhibere loco didicerit, nae, ille sine alterius detri-
mento ad alteram exasciandam incumbet, & Aristotelem, Leibni-
tium cum sexcentis aliis pallium lauro iungentibus fuisse sentier
prodigia, non miracula.

§. XV. Quum clarae representationes sint poeticae §. 13.
aut erunt distinctae aut confusae, iam distinctae non sunt §. 14.
ergo confusae.

§. XVI. *Si in repraesentatione A plura repraesententur,*
quam in B. C. D. &c. sint tamen omnes confusae, A erit reliquis
EXTENSIVE CLARIOR.

Addenda fuit restrictio, vt distinguerentur hi claritatis gra-
dus a lati cognitis illis, qui per notarum distinctionem descen-
dunt ad cognitionis profunditatem, & vnam repraesentationem
altera intensius reddunt clariorem.

B.

§. XVII.

§. XVII. In extensive clarissimis representationibus plura representantur sensu, quam in minus claris §. 16. ergo plura faciunt ad perfectionem poematis §. 7. Hinc representationes extensae clariores sunt maxime poeticae §. II.

§. XVIII. Quo magis res determinantur hoc representationes earum plura complectuntur; quo vero plura in representatione confusa cumulantur, hoc fit extensae clarior §. 16. magisque poetica §. 17. Ergo in poemate res representandas quantum potest, determinari poetica §. II.

§. XIX. Individua sunt omnimode determinata, ergo representationes singulares sunt admodum poeticae §. 18.

Nostris Choerilis tantum abest, ut obseruetur haec poematis elegancia, vt potius naso adunco suspendant Homerum Il. β. ηγεμονες και νοιρανες, αρχης αυγηνων νηας τε προπασας dicentem, narrantem Il. η omnes, Hectori qui obuiam ire sustinebant, in Hymno autem Apollinis plurima regnantis dei loca sacra recensentem. Idem in Virgilii Aeneide, qui libr. VII. finem & posteriores euoluerit satis superque notare poterit. Addatur & Ouidii catalogus canum dominum lacerantium in Metamorphosi, nec quisquam, puto, concipere poterit non opinantibus aut inuitis excidisse, que nobis imitatu difficillima forent.

§. XX. Ad genus cum determinationes specificae accedentes constituant speciem & genus inferius ad genus superiorius adiectae determinationes genericae, generis inferioris & speciei representationes magis poeticae, quam generis, aut generis superioris. §. 18.

Ne videamur probationem a posteriori quae sit tam anxie arcessere longius prima prodeat oda Venusini lyrici. Cur in ea atauri pro maioribus, puluis olympicus, pro puluere ludorum, palma pro praemio, Lybicae areae pro terris frugiferis, Attalicae conditiones pro magnis, trabs Cypria pro mercatoria, mare myrioum pro periculo, lucians Icaris fluctibus Africus, pro vento, vetus Massicum pro vino generoso, Marsus aper pro fulmineo

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. II

mineo &c. nisi virtutis esset substituere conceptibus latioribus angustiores. Nihil dicimus de ipsa dispositione totius odae hac ratione instituta, vt pro ambitione, avaritia & voluptate adducantur specialiores calus in quibus se istae solent exserere: & amplificatione omni hinc deducta, vt pro pluribus casibus similibus generaliori titulo donandis exprimiratur vnuis & alter vers. 26. 27. 33. 34. Tibullus pro aromatis suo cineri infundendis libr. III. tres aromatum species postulat

Illic quas mittit diues Panachaia merces.

Eoque Arabes, diues Et' Assyria, §. 19.

Et nostri memoris lacrume fundantur codeni.

Maro pro: nunquam hoc faciam, nota circumscriptione poetarum dicturus:

Cuncta prius sunt, fieri quae posse negabam,

Natura eque prius contraria legibus ibunt.

Ecl. I. descendit ad enumerationem specialiorem physice impossibilium quo runderunt rusticis notissimorum:

Ante leues - - paſcentur in aethere cervi Et' c.

Ex eodem hoc fonte fluit distributio poetica, vbi de pluribus loquuntur poetae sciam ea in classes & species solent dispergunt. Notum Virgilii illud de Troadibus in Lybiam adiecit Aen. libr. I. It. in Catullo c. 58, Satyros & Nisigenas Silenos repraesentatu:

Horum pars teſta quatiebat cypide thyroſoi

& vers. seqq. 8. species diversa agentium enarrantur.

§. XXI. EXEMPLVM est repraesentatio magis determinati ad declarandam representationem minus determinatae supeditata.

Quum nondum relatam alibi legimus, hanc definitionem, cum vsu loquendi eam optime conuenire probaturi sumimus arithmeticum afferentem: aequalibus quantitatibus aequales additas aequalia aggregata producere, seu: si $A = Z$. $B = Y$. $A + B = Z + Y$. Iam loco numeri indeterminati A si substituat determinatum 4 loco Z 2 + 2 loco B. 6. loco Y 3 + 3 & 4 + 6 = 2 + 2 + 3 + 3 iuret, exemplum sui axiomatis dedisse dicerur omnibus

bus eo si sine factum sit, ut clarior patescat, quid literalibus suis sibi velit characteribus. Philosophus impropriis loquutiones excusare debere ex definitione demonstraturus, si cum Campanella se brim definit per bellum contra morbum potestatua vi spiritus initum, aut spiritus spontaneam extraordinariam agitationem inflammatiōneque ad pugnam contra irritantem mortificam causam: ut hinc tales definitiones eo penitus introspiciantur exemplum definitionis impropriae dedisse creditur, dum loco definitionis in genere protulit aliquod individuum, & loco conceptus generalis de impropriis loquutionibus representauit bellum, spiritus agitationem & inflammationem &c. &c. conceptus, in quibus plura sunt determinata quam esse terminum improprium, qui tamen cruentiae huic & declarandae notioni tanquam adhibentur. Foeundam esse definitionem nostram experietur, qui hinc solvere nitetur problema: quonodo aedificans alii exemplum praecendunt, aut meditatus grauiissima B. SPENERI verba, quando in *conf theol. lat. part. I. c. II. art. 1.* Matheſin affirmat sua certitudine & demonstrationum απολειψ omnibus aliis scientiis exemplum praebere, quod, quantum fieri potest imitantur coll. §. 107.

§. XXII. Exempla confusa representata sunt representationes extensae clariores, quam eae, quibus declarandis ponuntur §. 21. hinc magis poeticae §. 18. & in exemplis singularia quidem optima .19.

Id, quod vidi III. LEIBNITZIVS egregio illo libro, quo causam Dei defendendam suscepit Part. II. p. 48. quando ait: *Le but principal de la Poſtie doit être d'enseigner la prudence & la vertu par des exemplaires.* Exemplum exempli dum quaerimus, paene facti sumus. Tantali in tanta affluentia, ynde porissimum hauriendum incerti. Decurramus ad mare miseri Naslonis Trist. I. I. & II. minus determinata repraesentatio:

*Saepe premente deo fert d'us alter opem.
vix elapsa erat ex ore saltis lacrumarum & maris imbris rorante: & ecce, repente sequitur 6 versus sibi vindicans exemplorum decumanus fluctus*

Mulciber in Troiam pro Troia stabat Achilles &c.

§. XXIII.

§. XXIII. *Conceptus A, qui praeter notas conceptus B cum ipso repreäsentatur, ipsi ADHAERET, & cui aliis adhaeret,* dicitur CONCEPTVS COMPLEXVS, oppositus SIMPLI-
CI, cui nullus adhaeret. Conceptus complexus quum plura, quam simplex repreäsentet, conceptus complexi confusi sunt extensiuclariores, quam simplices §. 16. hinc magis poetici, quam simplices. §. 17.

§. XXIV. REPRÆSENTATIONES mutationum re-
præsentantis præsentium sunt SENSVALES, eaque sensiti-
tiae §. 3. adeoque poeticæ §. 12.

§. XXV. Affectus cum sint notabiliores taedii & vo-
luptatis gradus, dantur eorum repræsentationes sensuales in
repreäsentante sibi quid confule, ut bonum & malum, ergo
determinant repræsentationes poeticas §. 24. ergo affectus
mouere est poeticum. §. 11.

§. XXVI. Idem & hac ratione demonstrari potest:
quae repreäsentantur, ut bona nobis & mala, in iis plura no-
bis repreäsentantur, quam si non ita repreäsentarentur, ergo
repræsentationes rerum, quae ut bonae malae nobis con-
fuse offeruntur, extensiuclariores, quam si ita non propone-
rentur §. 16. hinc magis poeticæ §. 17. Tales vero repræ-
sentationes sunt motiones affectuum, ergo mouere affectus
poeticum §. 11.

§. XXVII. Sensiones fortiores sunt clariores, ergo magis
poeticæ, quam minus claræ, & imbecilles §. 17. sensiones for-
tiore comitantur affectum vehementiorem, quam minus ve-
hementem §. 25. Ergo excitare affectus vehementissimos
maxime poeticum. Idem hinc patet: Quae nobis aut ut pes-
sima, aut ut optimæ confule repreäsentantur, extensiuclarius
repreäsentantur, quam si ut minus bona minusue mala re-
preäsentarentur §. 16. & hinc magis poetice §. 17. Iam re-

praesentatio confusa rei ut nobis pessimae aut optimae determinat affectus vehementissimos. Ergo affectus vehementiores excitare magis poeticum, quam minus vehementes.

§ XXVIII. Phantasmata sunt representationes sensitivae §. 3. adeoque poeticae §. 12.

Quum hie representationes sensorum reproductas phantasmata vocamus: recedimus quidem cum philosophis a vaga significacione vocis, neque tamen ab vsu loquendi & ipsis regulis grammaticis, quis enim negaret phantasma esse, quod imaginari sumus? Iam vero facultas imaginandi in ipso Suidae lexico describitur tanquam πάρα της ειδησεως λαμβανεται των ειδητων τυπων, εν αυτη τυποι αναπλασται. Quid ergo phantasmata, nisi rescriptae (reproductae) sensuum imagines (representationes) a sensatione acceptae, quod iam indicatur conceptu sensuum?

§. XXIX. Phantasmata minus clara quam ideae sensuales, Ergo minus poetica §. 17. Quum ergo affectus moti determinant ideas sensuales, poema mouens affectus perfectius quam plenumphantasmatis mortuis §. 8. 9. & affectus mouere magis poeticum, quam phantasmata alia producere.

Non satis est pulchra esse poemata --

Et quounque volent, animum auditoris agunto.

Bellum sane characterem, quo

Cornui poetarum cum poetris picis

& Homeri dignoscantur faciliora, illis plerumque magna profectis

Purpureus, late qui splendeat, unus & alter

Affuitur pannus.

ergo non omnino damnat ista Flaccus; videamus tamen quenam sint, de quibus caute adhibendis poeta loquatur fungens vice cotis:

----- *cum lucis & ara Diana (phant. 1. & 2.)*

Aut flumen Rhenum (phant. 3.) aut pluvius describitur ar-

cus (phant. 4.)

Sed nunc non erat his locus.

Iam

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 15

Iam secundum §. 22. quin agat poeta, ex his speciebus & magis determinatis, tanquam exemplis, euoluamus notionem magis universalem, nulla sane reperietur, in qua conueniant, quam notio phantasmatum, phantasmati ergo non semper locus, rationem §. suppeditat. Quare, si cum Flacco sentiam, *faber vngues exprimens & molles aere capilos imitans* (quaedam phantasmata in carmine apte repraesentans.)

*In felix operis summa
Non magis esse velim, quam prauo viuere naso
Spectandus nigris oculis, nigroque capillo.*

§. XXX. Phantasma partiali repraesentato, phantasma eius totale recurrat, & eius adeo constituit conceptum complexum, qui si confusus fuerit, erit magis poeticus, quam simplex §. 23. Ergo cum phantasmae partiali totale repraesentare, idque extensius clarius §. 17. est poeticum.

§. XXXI. Ratione loci & temporis coexistensia phantasmati partiali pertinent cum eo ad idem totale, ergo corum phantasmata extensius clare cum repraesentando aliquo partiali repraesentare, poeticum §. 30.

Visitissimae poetis descriptiones temporis e. g. noctis Virgil. Aen. IV. meridiei Ecl. 4. vesperae Ecl. 1. quatuor anni horas simul depictas lege in Senecae Hippol. Aet. III. p. 64. descriptiones veris Virg. Georg. I. II. vers. 319-345. primae lucis, hiemis, autumni &c. & alia exempla cuiuslibet Bauii aduersaria portigent. In quibus tamen maximopere obseruandum scholion ad §. 28.

§. XXXII. Ratione loci & temporis repraesentando coexistentia phantasmati poetice simul repraesentari & & hac ratione demonstrari potest: res, quantum potest, determinatissimas repraesentari poeticum §. 18. determinaciones loci & temporis numericae, saltim specificae, ergo rem maxime determinant, ergo repraesentare omnia, ergo &

pban-

phantasmata indicando coexistētia per locum & tempus determinare poeticum.

§. XXXIII. Repraesentato phantasmate certae speciei vel generis, recurrunt phantasmata alia eiusdem speciei vel generis. Si talia cum genere vel specie simul repraesententur, partim sit illud conceptus complexus confusus, hinc magis poeticus §. 23, partim magis determinatur genus vel species & hinc repraesentatur magis poeice §. 20. 19.

§. XXXIV. Si cum repraesentando phantasmate species vel genus, quod cum aliis commune habet, simul repraesentetur confuse, fit extensio clarius, quam si hoc non factum sit §. 16. hinc genus & speciem, quae repraesentandum phantasma cum aliis communia habet repraesentare poeticum. §. 17.

§. XXXV. Si talia, quae ad genus idem & eandem speciem repraesentandam cum phantasmate quodam pertinent, simul repraesententur, genus repraesentatur magis poetice, quam si secus factum sit §. 33. Iam genus vel species repraesentare cum repraesentando phantasmate poetum §. 34. Ergo cum phantasmate repraesentando repraesentare etiam phantasmata ad idem genus sive eandem speciem pertinientia admodum poeticum.

§. XXXVI. SIMILIA sunt, quibus idem conuenit conceptus superior, ergo similia ad eandem speciem vel genus idem pertinent. Ergo cum repraesentando phantasmate uno repraesentare similia admodum poeticum. §. 35.

Atque adeo paret etiam ratio, cur similia tantis exigant clamoribus, qui pythia cantaturos formant sub ferula magistri. Esse vero hanc in similia delabendi pronissimam viam patebit ex exemplo Didonis apud Maronem libr. I. templum Iunonis ingredientis, habet hic poeta mulierem caeteris comitanibus multis praefan-

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 17

praestantem in summo ornatu, hae constituant notae simul summae speciem, sub eadem continetur Diana, & ecce, Diana hic sit simile, simile enim est non exemplum licet a persona desumptum sit. §. 17.

§. XXXVII. *Repraesentationes somniorum sunt phantasmatata, ergo poeticae §. 28.*

Deprehendimus eas in Virgilio, Ouidio, Tibullo at quibus castae Poeseos arbitris? Adeoque non omnino reiciendae, licet bilem virtute moueant vates, virget sane

Quos fanaticus error & iracunda Diana,
ut nihil nisi somniorum interpretamenta nouerint exponere, quoties Caius Caian duxit, aut obscurum nescio quod microcosmi lumen extinctum est.

§. XXXVIII. Quo phantasmatata clarius repraesentantur, eo magis sunt sensualibus ideis similia, ita ut debiliori sensationi saepe aequipollcent. Iam phantasmatata repraesentare, quam fieri potest clarissime, poeticum §. 17. ergo ea sensationibus facere simillima poeticum.

§. XXXIX. Picturae est repraesentare compositum idem & poeticum §. 24. picturae repraesentatio pingendi sensuali eius ideae simillima, idem poeticum §. 38. Ergo poema & pictura similia §. 30.

Vt pictura, poesis erit.

In hoc enim loco concedere iubet hermeneutica quaedam necessitas consequentia conferentem poesin pro poemate positam & picturam non de arte sed effectu intelligendam. Neque tamen hinc ambigendum est de genuina poeseos notione §. 9. rite fixa & constituta, in talibus enim verborum paene synonymouscorum confusionibus & poetis aliis & nostro

Quidlibet audendi semper fuit aqua potefas.

§. XL. Pictura cum repraesentet phantasma in superficie tantum, eius non est omnem situm ullumque motum repraesentare, sed est poeticum, quia his etiam repraesentatis

C

plura

plura in obiecto repraesentantur, quam non repraesentatis iis, & hinc sit illud extensio clarius §. 16. Ergo in imaginibus poeticis plura ad unum tendunt quam in pictis. Hinc perfectius poema pictura.

§. XLI. Vocab & orationis quanquam clariora phantasmatum, quam visibilium, hinc tamen praerogativam poematis praec pictura affirmare non conatur, quoniam intensiu claritas cognitioni per voces symbolicae concessa prae intuitiva nihil facit ad extensiu claritatem, quae sola poetica. §. 17. 14.

Verum illud per experientiam & §. 29.

*Segnus irritat animos demissa per aurem
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, & que
Ipse sibi tradit spectator. - -*

§. XLII. Confusa representationis recognitio est memoriae sensitiuae, hinc sensitiua §. 3. & poetica §. 12.

§. XLIII. ADMIRATIO est intuitus plurium in representatione tanquam non contentorum in multis perceptionum nostrarum seriebus.

Conuenimus cum Cartesio admirationem habente pro subitanea animae occupatione, qua fertur in considerationem atten tam obiectorum, quae ipsis videntur rara & extraordinaria, ita tamen, ut reiectis, quae videntur superflua, ad demonstrationis seriem definitionem accommodemus. Quum raritatem in mirabilibus solam male videatur requirere nonnullis, exclusa ignoracione, non ipsis quidem dicam scribemus iterum, sed in extraordinario potius implicite dici inconcepibile relativum sentimus, nihilo tamen secius utrumque admirationis fontem clare indicasse laborauimus.

§. XLIV. Quum intuitiva cognitio possit esse confusa, potest esse & admiratio §. 43. hinc representatione mirabilium poetica §. 13.

§. XLV.

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 19

§. XLV. Ad ea, in quibus mirabilia, attendere solemus,
ad quae attendimus, ea si confuse, extensue clarius represe-
ntantur, quam ad quae non attendimus §. 16. ergo represe-
ntationes, in quibus mirabilia, magis poeticae, quam in quibus non
sunt.

Hinc Horatius:

Fauete linguis. Carmina non prius.

Audita Musarum sacerdos

Virginibus pueris que canto.

Forte & haec innuuntur, si ex allegoria euoluantur cogitata eius-
dem in Oda 20. libr. II. vbi incipit:

Non vistata, nec tenui ferar

Penna.

Regeritur haec non materiam, sed formam carminis lyrici in La-
tio ante Horatium incultioris respicere. Verum sit ita; non ex-
cluditur tamen materia, &, si excluditur, per ipsam formam mi-
rabilem excitat secundum §. representationes poeticas. Et quum in ipso limine gloriae audius id profiteatur, habuit sane pro lau-
de poetae *non vistata, non audita prius* dicere, quod volumus
vnum.

§. XLVI. *Vbi admiratio, ibi plura non confuse recogni-*
ta §. 43. Ergo minus poetice represemtata. §. 42.

Vbi recognitio confusa, ibi cessare admirationem a poste-
riore etiam constare potest, si quem videmus quippam mirari e.
g. instrumentum bellicum artificiose confectum, alter ipsum in ad-
mirando impediturus quaerit, annon eadem, immo artificiosio-
ra, viderit Berolini, Dresdæ e. c. Quod si reminiscitur, utique
remittit admiratio.

§. XLVII. Mirabilium representatione poetica §. 45. a-
lioque respectu non talis §. 46. hinc regularum conficiens &
necessaria exceptio.

§. XLVIII. Quod si ergo mirabilia representanda §.
45. debent tamen quaedam in eorum representatione pos-

se confuse recognosci, i.e. in ipsis mirabilibus nota incognitis
apte miscere maxime poeticum §. 47.

§. XLIX. Miracula quum sint actiones individualis ad-
modum poeticae eorum representationes §. 19. quum tamen
rarissime fiant in regno naturae, saltim percipiuntur ut talia,
mirabilia sunt §. 43. hinc nota & facillima recognitu ipsis
interferenda §. 48.

*No deus interfit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.*

Ex poematis notione, quam §. 9. exhibet tuemur, narrandorum
miraculorum libertas fluit, confirmata exemplis optimorum poe-
tarum innumeris, quae tamen videtur in licentiam degenerare,
si poema hoc unum sibi propositum habeat, ut naturam imitetur.
Naturae nempe nihil cum miraculis.

§. L. Representationes confusae ex diuisis & compositis
phantasmata natae sunt phantasmatina, ergo poeticae §. 23.

§. L¹. Representationum talium obiecta vel in mundo exi-
stente possibilia vel impossibilia. Has FIGMENTA, illas liceat
dicere FIGMENTA VERA.

§. LII. Figmentorum obiecta vel in existente tantum, vel
in omnibus mundis possibilibus impossibilia, haec quae VTOPI-
CA dicemus absolute impossibilia, illa salutabimus HETE-
ROCOSMICA. Ergo vtopicorum nulla, hinc nec confusa,
nec poetica datur representatione.

§. LIII. Sola figura vera & heterocosmica sunt poetica. §.
50 52.

§. LIV. DESCRIPTIONES sunt enumerationes vario-
rum in representatione quorumcunque. Quod si ergo confuse re-
presentatum describatur, plura in eo varia representantur,
quam si non describatur. Quod si CONFUSE DESCRI-
BATVR i.e. representationes variorum in describendo confusae
suppedimenta, fit extensiue clarius, idque, quo plura varia con-
fuse

DE NONVLLIS AD POEMA PERTINENTIEVS. 21

fuse repraesentantur, hoc magis §. 16. Ergo *descriptiones confusae & eae maxime, in quibus plura varia repraesentantur, maxime poeticae.* . . 17.

§. LV. *Descriptiones idearum sensualium, phantasmatum, figmentorum verorum & heterocosmiconrum confusae sunt admodum poeticae.* §. 54.

Iam eximi potest ille scrupulus, qui haerere posset animo cogitanti descriptionem esse per defin. in A distingue B. C. D. adeoque A distincte repraesentari, quod quum sit contra conceptum poematis §. 9. & inde fluentem §. 14. inde deduci posse absurdum descriptions ex poemate esse eliminandas. Nam B.C.D. &c. sunt sensituae representationes, quum confusae supponantur §. 3. Ergo descriptio loco vnius A sensituae substituit B. C. D. i. e. plures sensitius. Hinc licet A prorsus fieret distinctum, quod tamen raro fit, nihilo poema minus post descriptionem admisum fieret perfectius, quam ante eandem §. 8.

§. LVI. Quum in *figmentis heterocosmicos* plura, quae nec idearum sensualium, nec phantasmatum non fictorum, nec figmentorum verorum seriem in animis multorum auditorum lectorumque ingressa praesumi possunt, praesumuntur mirabilia §. 43. Ergo plura in iis confuse recognoscibilia si occurrant *maxime poetice repraesentantur miscentia nota incognitis* §. 48.

Hinc Horatius: *ex noto fictum carmen sequar, & idem figurantem ficturus & docturus:*

Quid deceat, quid non? quo virtus, quo ferat error,

Vnde parentur opes, quid alat formetue poetam?
famam sequi iubet & Achillem reponere i.e. secundum §. 17. Heroas materias fabularum notissimas. *Medea, Io, Ino, Ixion, Orestes* exempla eiusdem conceptus generalioris personarum in theatis triflissimiarum. Postea expressis verbis:

Rectius iliacum carmen deducis in actus,

Quam si proferres ignota indistinctaque primus.

C 3

Nouimus

Nouimus loqui poetam de socco coenaque Thyestae, verum quum ratio hanc regulam dereminans sit secundum demonstrata vniuersalis, vniuersalis etiam regula. Iliacum vero carmen iterum exemplum est figmenti heterocosmici iam cogniti. *Personam formare nouam* vocat audaciam.

§. LVII. Figmenta, in quibus plura sibi inuicem repugnant, sunt vtopica, non heterocosmica §. 52. hinc *infigmentis poeticis nil sibi inuicem repugnat.* §. 53.

Sibi conuenientia finge.

vt de te dici queat etiam quod de Homero:

*Hic ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Nec, quocunque volet, poscat sibi fabula credi,
Neu lamiae vivum pranxae puerum extrahat alio,
Quaecunque ostendis mibi sic, incredulus odi,
Centuriaeque agitant seniorum experitia frugis.*

§. LVIII. Si philosophica vel vniuersalia quaevis representanda poetice, determinare quam maxime §. 18. exemplis inuoluere §. 22. eaque ratione loci & temporis §. 28. & enumeratis aliis quam pluribus variis describere §. 49. mens est; experientia non sufficiente figura vera, nec historia quidem satis diuite, figura probabilter heterocosmica necessaria §. 44. 47. Ergo *figmenta tam vera, quam heterocosmica in poemate hypothetice necessaria.*

Quanta cum dissensione poetarum rhetores anquirant, affectio ad essentialia poematis pertineat, nec ne; qui quosdam saltim euoluerit, ignorare putamus neminem. Satisfactum itaque iuimus dubitationi in neutras omnino partes concedendo, sed determinando potius certos casus, in quibus fictione poeta superseedere nequeat. Esse autem non dabiles solum, sed saepius etiam obuios, experientia docet. Quum enim, tanquam ciuitatis diuinae quotacunque portiones, obligemur ad talia carminibus consignanda, quae virtutem & religionem promouent: factumque illud etiam sit per omnes fere temporum vicissitudines, (vid. sub praes-

praesidio Ioh. Andr. Schmidii habita Helmstadii dissertatio *de modo propagandi religionem per carmina*) perfectione in vero veram humani generis tam perfecte quam imperfecte restituentia universalia sint plerumque, de vniuersalibus etiam & minus determinatis saepissime poesis verba facienda sunt. Hinc Horatius iam

Rem tibi Socratis ac poterunt offendere chartae.

possibilis ergo prima hypothesis, alterius etiam possibiliter videtur cogitans poetam omnibus saepē scribere, saltim sibi ignotis, ergo nescit etiam, quid illorum ferat experientia, quod si vero phantasmatu non ficta proponit, quae auditor lectorue non sensit, sunt isti illa figurae vera. §. 44. Historia recentissima, quae maxime determinata solet esse cognita, inutilis plerumque poetae propter adulacionis irrisione scopulos, aut certe notam, vix ac ne vix quidem vitandam. Historia remotior nunquam tam determinata cognita, ut stylus poscit poeticus, per demonstrata, ergo magis determinanda, quae narrat. Determinationes poemati addenda, de quibus tacet historia, cognosci nequeunt, nisi ex perspicientia omnium requisitorum ad veritatem earundem, quae cum in limitatum non cadat intellectum, ex aliquibus & paucissimis rationibus insufficientissimis hariolanda sunt, adeoque vehementer improbabilis earum veritas i. e. probabilis non existentia & statio inter heterocosmica figurae.

§. LIX. Probabilia quum fieri saepius, quam improbabilia, percipiamus, poema fingens probabilia facta magis poetice res repreäsentat, quam fingens improbabilia. §. 56.

Regni figurorum laudabilem, quantum quantum sit, diminutur tamen in dies territorium prolatis sanac rationis pomocriis. Sapientissimi quondam poetarum dici non potest, quot veterotopica figura contra §. 47. immiscuerint, deorum adulterorum &c. Sensim rideri coepit ista, & nunc non aperta solum contradic̄to fingenti vitanda, sed etiam rationis defectus, aut contra rationem fictus effectus, toties occidente poeta:

*Spectatoris eges aulaea manentis Et usque
Sessuri, donec cantor: vos plaudite, dicat?
Aetatis curiusque notandi sunt tibi mores.*

hi enim rationem continent sic, & non aliter determinatae actio-
nis vel orationis. Pone factum contrarium:

Romani tollent equites peditesque cachinnum.

Nec si quid fricti ciceris probat & nucis emitor

Accuis accipiunt animis, donantue corona.

quaeris causam? vide, sis, §. Non negamus vere dici

Πολλὰ μεταξὺ πέμπει καὶ λύκος καὶ χελεος αὐρες.

nec talia poemati inserere prohibemus quenquam, de eo tantum
quaeritur, quod maxime poeticum. Omnis inopini casus ratio
est, sed ante incognita, ergo continet talis eventus repraesentatio
mirabilia §.43. & hinc poetica §.44.45. Quod si ratio tamen post-
hinc parecbit in decursu narrationis, admisceatur nota incognitis, &
repraesentatio talis eventus iam magis poetica, quam antea §.48..

§.LX. DIVINATIO est repraesentatio futuri, terminis
significata est PRAEDICTIO, si diuinatio non fiat ex perspecto
nexu futuri cum determinantibus illud, est PRAESAGIVM
& terminis significatum praesagium VATICINATIO.

§.LXI. Futura sunt exstituta, ergo omnimode deter-
minanda, ergo repraesentationes eorum i. e. diuinationes §.60.
singulares, hinc admodum poeticae. §.19.

§.LXII. Si nexus diuinandi cum illud determinantibus
ita indicaretur, ut perspici ab auditore lectorne posset: de-
monstraretur illud futurum. Ergo ratiocinaremur distincte,
quod minime poeticum §.14. ergo diuinationes poeticae sunt
praesagia, praedictiones vaticinationes §.60. Ergo vaticinia
poetica. §.61.

§.LXIII. Si futura nec naturaliter, nec supernaturaliter
cognoscuntur, aut non tam determinate cognoscuntur, quam
opus est poemati, in vaticiniis figmentorum eadem est necessi-
tas hypothetica, quae §.58. demonstrata praeferit de narran-
dis praeteritis.

§.LXIV. In figmentis vaticiniorum nihil sibi debet repu-
gnare. §.54. & probabilia improbabilibus preeferenda, §.60.

Vatici-

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIEVS. 25

Vaticinari tam belle decet poetam, quam quod maxime, quare & ipsa scriptura poesin amat in latis multis prophetis. Est ramen periculosum praedicere, quorum ignoratur futuritio, & destitutum euentu vaticinium misere ridetur. Quid hinc poetis agendum? Callidissimi homines vaticinantur in alterius nomine de rebus, quae nunc iam factae sunt, ac si tunc praedictae essent, cum nondum factae erant. Quae non Helenus canit Aeneae apud Virgilium? quae Anchises in campis Elysiis? quae Cumana ante Sibylla? quae Vulcanus in clypeo? Horatius Nerea iubet praedicere belli Troiani euentum, quum sciret, nunc ea se fingere posse vaticinia, quae eventus iam lequitus confirmarat. Flaccus in hoc etiam dexterime, ut saepius, ad Christiana sacra conuersus est, a Sarbieuio lyricorum recentium facile principe, qui pulcherrime Noachum ex arca proposcientem vaticinari singit, diuinum sibi cultum olim tribuendum & alia, quae nunc sine spirito prophetico nouimus *lyricorum I. IV. oda 27.* Idem tentauit pia fraus, quae posteritatem credere voluit se solium recitare *Sibyllae.*

§. LXV. Nexus representationum poeticarum debet facere ad cognitionem sensituam §. 7.9. ergo *debet esse poeticus, §. II.*

Multum series iuncturaque pollet.

§. LXVI. *Id, cuius representatione alias in oratione adhibitarum rationem sufficientem continent, suam vero non habet in aliis est THEMA.*

§. LXVII. Si plura fuerint themata non sunt connexas, pone enim A esse thema, B item, si fuerint connexa australis sufficiens τος A est in B aut τος B in A, ergo aut B aut A non est thema §. 66. Iam vero nexus est poeticus §. 65. ergo *poema unius thematis perfectius illo, cui plura themata, §. 8.11.*

Hinc intelligimus Horatii illud:

Sit, quod vis (civl. ultimato representare) simplex duntaxat & unum.

§. LXVIII. *Ideas sensuales & phantasmatu poematis, quae non sunt themata, determinari per thema poeticum, nisi enim*

D

deter-

determinantur per illud, nec connectuntur cum eo, nexus vero est poeticus §. 65.

Iam positi limites iniectaque fraena phantasiae & indomitae ingeniorum lasciuiae, quae abuti misere possit §§. prioribus,phantasma & figura in poema non admittentibus folium, sed & ad perfectionem postulantibus. Nunc enim videmus: sicut in abstracto licet omnino bonae representationes, tamen in coordinando reiectum iri omnem ideam sensualem, omne figuratum, omne phantasma,

Quod non proposito (themati) conductat & haret apte.
Dudum obseruatum, poetam quasi factorem sive creatorem esse, hinc poema esse deber quasi mundus. Hinc κατ' αναλογιαν de eodem tenenda, quae de mundo philosophis patent.

§. LXIX. Si determinantur representationes poeticae, quae non themata, per thema, connectuntur cum themate, ergo connectuntur inter se, ergo sibi inuicem succedunt, ut causa & causatum, ergo similitudo obseruabilis in modo, quo sibi succedunt, adeoque in poemate est ordo. Iam connecti representationes poeticas, quae non themata, cum themate poeticum §. 69. ergo ordo est poeticus.

§. LXX. Quum ordo in representationum successionē dicatur methodus, *methodus est poetica*. §. 69. eam vero METHODVM, quae poetica, dicamus, cum poeta lucidum ordinem poetis tribuente, LVCIDAM.

§. LXXI. Methodi lucidae generalis regula est: ita se excipiant representationes poeticae, ut thema extensiu clarius sensim clariusque representetur. Quum thema proponendum sensitivę §. 9. intenditur eius claritas extensiu §. 17. quod si iam antecedentes clarius representarunt, quam sequentes representationes, posteriores non concurrent ad illum poetice representandum, debent tamen concurrere §. 68. ergo posteriores clarius reddere debent thema, quam priores.

In

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 27

In primo poematum limine iam olim ob hanc neglectam methodi regulam sibi videbantur vereres iure ridere cyclos illos poetas, quorum simul ac calamum stringunt

Parturiunt montes.

Quis non dannat *immanes hiatus sublimes versus rustantium* quorum pegasum oestrum, postquam se vix fonte caballino proluerunt, in ipso adhuc portu

Proicit ampullas & sesquipedalia verba.

Non Lucano, Statio, aliis diem dicemus iterum male iam mulcatis a pluribus ob hoc vitium. Praestare videbatur partim rationem dare, quam ob rem simile coepit sic coepit finit carmina; partim extendere regulam, contra quam impegerunt isti, ad omnem poematis decursum. Vbiique seruandum illud, quod in Homero tanquam laudem mereri indicat Horatius:

Quanto, inquiens, redditis hic, qui nil molitur inepte,

Non sumum ex fulgore, sed ex sumo dare lucem

Cogitat, ut speciosa debinc miracula promat

Aniaphaten, Scyllamque & cum Cyclope Charybdin.

Euoluuntur hic significatus proprii ex impropriis & in aprico erit regulam in §. propositam a vate innui, licet cum restrictione ad primordia. Caeterum analogam huic regulae notare datur regulam ordinis, quo in mundo sibi res succedunt, ad euoluendam creatoris gloriam, luminum & ultimum thema immensi, licet ita vocare, poematis.

§. LXXII. Quum secundum §. 71. coordinatarum representationum quaedam possint ut praemissae cum conclusionibus cohaerere, quaedam ut simile; cum simili & cognatum cum cognato, quaedam per legem sensationis & imaginationis, *methodus historicorum, ingenii & rationis in lucida possibilis.*

§. LXXXIII. Si regulae methodi vel memoriae vel ingenii contrariantur poetis e.g. §. 71. alius vero regulae cum iis conueniant, ab una ex iis methodo ad aliam transfire poetum. §. II.

Ita interpretamur Flaccum, quando de ordine praecipit, si
et haesitabundus

Ordinis haec virtus erit & Venus, aut ego fallor,

Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici

Pleraque differat & praesens in tempus omittat.

Delentia dici sunt, que methodus vel ingenii, vel memoriae,
vel rationis in antecedentibus obseruata postulareret. *Talia nunc dicit*,
quum enim ordo sit in poemate & methodus, quam aut ipsae
aut ex iis compositae, vix cogitari queat alia, secundum aliquam
ex iis vriue connectenda poematis varia; *nunc vero differit*, quia
ex alio cogitationum ordine succendentia perfectioni poematis com-
modiora, adeoque magis poetica. Largimur Horatio distinctas
methodi nec lucidae nec aliarum fuisse notiones, nec tamen hinc
dubitandum de legitimo sensu, modo notiones nostrae eadem re-
presentent, licet forte distinctius. vid. Wolffii Log. lat. §. 929.

§. LXXIV. INTRINSECE sive ABSOLVTE BRE-
VIS est ORATIO, cui nihil ineſt, quod salvo perfectionis gra-
du abesse posset. *Talis breuitas*, quum sit omnis orationis, est
etiam poematis §. 9.

Et tamen πολλα τοι συμποι λογοι

Εσφηλας ηδη και κατωρθωσαν βροτες,

Notionem breuitatis eandem animo Horatii haesisse hariolamus,
quando

Quicquid praecipies esto breuis
cum dixerat, statim addit:

Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Vbi satis aperte *breuitatem superuacuo* opponit. Concipi etiam
potest ex definitione hac breuitatis, qui fiat ut
breuis esse laborans

Obſcurus fiat.

quum enim ne verbum quidem redundare velit, cogitationibus
ita orationem refercit, vt singula non possint a singulis distinguiri,
vnde obscuritas. Extrinseca breuitas sive relativa non est ad omnem
necessaria orationem, nec ad omne poema, quod si tamen alicui spe-
ciei

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 29

ciei peculiaris est e. g. epigrammatibus, ex eius affectionibus & determinationibus specificis deducenda est. Cui operae nunc subire non est animus.

§. LXXV. *Repraesentationes non poeticae, minusque connexae cum salvo perfectionis poeticae gradu abesse possint ex poemate, eas abesse etiam est poeticum* §. 74. 11.

Id est, quod more poetico Horatius suadet in exemplo Homeri §. 22, quum laudat in eo, quod quae

Desperet traxata nitescere (extensiuē clariora fieri) *posse relinquit.*

In Ouidii metamorphoseon libris obseruabimus quasdam historias sicco prorsus pede transcurrentem, & vix tribus verbis illarum meminisse, non sine luctu & indignatione puerorum aniles fabulas cumulari desiderantim.

§. LXXVI. *Quum quaedam omitti in poemate consultum sit* §. 75. *omnem vero nexus thematis narraturus historici, mirum, quantam mundi partem, ne dixeirim, omnem omnium saecolorum historiam complecti teneatur: quaedam determinantia & remotius connexa omittere poeticum.*

Quid Homerius i. e. excellens poeta §. 22. teste Horatio?

Semper ad eventum festinat, & in medias res

Non fecus ac notas auditorem rapit.

media dicuntur *geminò uno rerum trojanarum opposita, quae cohaerent, sed remotius, cum aliis, ita, ut possint illa etiam narrari breuitatis non studioso.* Quae de Homero Flaccus, dicit de Virgilio considerans, quomodo res Aeneae incipiatur:

Vix e conspectu si uiae telluris in altum &c.

idem in Comicis plerumque, quorum personae primae etiam si a prologo discesseris, ita ordiuntur ac si totus iam fabulae nexus pareret, quod ob §. 65. apprime vtile.

§. LXXVII. *Voces cum ad poematis varia pertineant,*
§. 10. *debent esse poeticae* §. 11. 9.

§. LXXVIII. *In vocibus varia 1) sonus articulatus, 2)*

D 3 signi-

significatus, quo magis uterque poeticus, hoc poema perfektus §. 7.

§. LXXIX. *Significatus improprius est in voce impropria.* Improprii autem termini, quam plerumque sint proprii representationis sensitivae, tropi poetici: 1) quia representatione per tropum accedens sensitiva est, hinc poetica §. 10. II. 2) quia suppedant representationes complexas confusas §. 23.

§. LXXX. *Si representatione in poemate communicanda non fuerit sensitiva & effertur per terminum improprium proprium representationis sensitivae inde nascitur representatione complexa eaque confusa, quia sensitiva simplex nunc adhaeret, ergo representationes non sensitivas impropriis terminis communicare poeticum.*

Lenitatis aut distincta, aut impropria animis obuersabitur notio, quam primum exprimere eam tentabimus. Illa non est poetica §. 14. hanc quam apte proponit Sarbievius. Vbi ipsi

*Eb' frons mihior adspici
Innubique nitens ore meridies,
Et, qui sospitat omnia,
Irati vacuis nube supercili,
Primo gratior Hespero,
Formosus rosea vultus in Iride.*

§. LXXXI. *Si communicanda minus poetica fuerit, quam propria notio termini improprii, praeferrri improprium proprio terminum est poeticum* §. 79.

§. LXXXII. *Quin representationes clarae magis poeticae, quam obscurae §. 13, in tropicis loquutionibus vitare obscuritatem, adeoque etiam numero eos limites ponere, quos claritas determinat, poeticum est.*

§. LXXXIII. *Metaphorici termini improprii, ergo poetici §. 79. simulque per §. 36. admodum poetici. Ergo crebriores iure sunt aliis tropis.*

§. LXXXIV.

§. LXXXIV. *Synecdochici speciei pro genere, & individui pro specie sunt improprii, ergo poetici §. 79. simulque per §. 19. 20. admodum poetici. Ergo reliquis crebrius iure adhuc bentur.*

E.gr. Typhis pro nautis, Palinurus pro rectore, Suffenus pro eo, qui sine riuiali seque & sua solus amat, Chremes pro auaro, Marrucinus pro stupido, Nepos pro luxurioso, Mentor pro artifice armorum Cerialium, pro inuido Codrus, paupere Irus &c.

§. LXXXV. ALLEGORIA cum metaphorarum connexarum sit series in ea & representationes singulac poeticae §. 79. & maior nexus, quam vbi heterogeneae confluent metaphorae. Ergo allegoria admodum poetica §. 65. 8.

§. LXXXVI. Epitheta substantiui sui dant representationem complexam, ergo epitheta non distincta poetica. §. 23.

§. LXXXVII. EPITHETA OTIOSA sunt affectiones significantia, quarum representatione cum themate minime connecta, ergo epitheta otiosa vitare poeticum. §. 75. TAVTOLOGICA sunt, significantia eandem, quae in substantiui conceptu, iam nota fuit, affectionem, haec breuitati contraria §. 74. vitare poeticum.

§. LXXXVIII. Quum epitheta significant representationes, ipsa etiam opime excitari possunt secundum regulas supra de representationibus poetiscis in genere suppeditatas.

§. LXXXIX. Nomina propria sunt individua significantia, quae quum admodum poetica, poetica etiam nomina propria §. 19.

§. XC. Quum confusa recognitio representationis sit poetica §. 42. & sola nomina propria ignorae potestatis non plura cogitanda suggerant, adeoque non excitent admirationem §. 43. cauere a multis ignotis nominibus propriis poetica cum §. 13.

§. XCII. *Voces*, quā soni articulati, pertinent ad audibilia, hinc *ideas sensuales* producunt.

§. XCII. *Iudicium de perfectione sensorum confusum* dicitur IV D I C I V M S E N S V V M , & illi sensorio organo adscribitur, quod senso afficitur.

Ita exprimere licebit, le gout gallorum, applicatum ad sola sensa. Diuidicationem autem sensibus adscribi & ipsa gallorum denominario & Hebraeorum בְּנֵי יִשְׂרָאֵל , & latinorum: loquere, vt te videam, & Italorum societas del buon gusto, euincunt, ita vt nonnullae tales loquendi formulae applicentur etiam de distincta cognitione loquentibus, nolumus tamen eo nunc ascendere; sufficit non contra usum sensibus tribui iudicium confusum, & quidem sensorum.

§. XCIII. *Iudicium aurium vel est affirmatiuum vel negatiuum* §. 91. affirmatiuum voluptatem, negatiuum taedium procreabit, quum utrumque determinet repraesentatio confusa §. 92. hinc sensitiua §. 3. & poetica §. 12, excitare vel taedium vel voluptatem auribus poeticum §. 11.

§. XCIV. Quo plura consentire vel dissentire notantur, hoc maius vel taedium, vel voluptas intensior. Iudicium sensuum omne confusum §. 92. quod si ergo iudicium A plura consentire vel dissentire obseruet, quam iudicium B, erit extensius clarius §. 16. quam B, hinc magis poeticum §. 17. Ergo summam voluptatem aut summum taedium auribus creare maxime poeticum.

§. XCV. Si summum auribus taedium creature auditoris attentionem auerteret, hinc repraesentationes amplius aut nullae aut paucissimae communicari poterunt, & poema omni suo fine excidit §. 5. ergo summam voluptatem auribus creare poeticum §. 94.

§. XCVI. Quum poema excitet voluptatem aurium, qua series

DE NONVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS 33

series sonorum articulatorum §. 92. 91. qua tali etiam inesse debet *perfectio* §. 92. & quidem *summa* §. 94.

§. XCVII. Deduci hinc facile potest poematis necessaria puritas, concinnitas, figurarum ornatius; sed haec ipsi cum imperfecta sensitiva oratione communia facile transimus, profine ne nimis simus. Nihil ergo de qualitate poematis, qua series sonorum articulatorum: cur concursus vocalium, elisiones crebriores, consortium eorundem elementorum vitanum sit. Omnis in qualitatibus sonorum articulatorum obvia perfectio dici posset: SONORITAS, termino, nisi fallimur, ex Prisciani schola mutuato.

§. XCVIII. QVANTITAS SYLLABAE est, quicquid in ea non potest cognosci sine compresentia alterius syllabae. Ergo ex moris elementorum non potest cognosci quantitas.

Placet philologis ebraeis aliquibus tribuere ex morarum elementarium numero aequali aliquam syllabis quantitatem, quae tamen cum hac nostra minime confundenda. Christianus Rauius Orthographiae ebraeac c. II. §. 17. expressis verbis: *Longitudo & breuitas syllabae intelligenda hic mere orthographica non profonda, ne quis fallatur aut fallat.* Secundum illam orthographiam, cuius distinctum conceptum suppeditare nostrum nunc prorsus non est, asseritur syllabarum ebraearum aequalitas, secundum hanc, quam definitius poeticam, doceri ea nunquam potest, nisi doceantur falsissima.

§. XCIX. Si in loquendo sua cuius syllabae tribuitur quantitas, SCANDITVR.

§. C. Si mora syllabae A in scandendo = morae syllabae B + mora syllabae C, A dicitur longa, C & B breues.

Mora in grammaticis est pars temporis elemento efferendo necessaria, jam ergo quum de syllabis solum agendum est, mutan-

E dis



dis mutatis per moram syllabae intelligimus partem temporis efferendas syllabae necessariam, in scandendo ergo, quantum temporis syllabae quantitas postular, tantum eius est morae. Hoc vero sciri non potest, nisi aliqua syllabae mora sumatur pro uno, quae breuis: huius morae duplum dabit longam. Hinc deriuare licet corollarium: ergo salua quantitate morae ad scandendum necessariae substitui potest. B + C pro A. Dicatum factum. Videamus in Iambi senarii schemate simplici, cuius omnes licentiae hinc resolubiles.

v— | v— | v— | v— | v— | v— | v—

Tardior ut paullo grauitorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in iura paterna recepit
Commodus & patiens: non ut de sede secunda
Cederet & quarta socialiter - -

adde & sexta, nisi fiat seazon, sed tunc non cedit quinta. Ergo iam

v— | v— | v— | v— | v— | v— | v— fiat paulatim substitutio duarum breuum pro una longa, & omnes nascentur licentiae. Primo pedes pares pro posteriore syllaba longa admittunt *v v* vnde tribrachys. Impares deinde pro prima longa *v v*, vnde anapaeſſus, pro secunda longa *v v*, vnde daechylus prima longa, prima breui & hic tribrachys. *Anapaeſſus & daechylus non sunt pendulum parium, quia eorum non est spondeus*, docente Hephaeftione de metris. Possibilis eriam *v v v* proceleusmaticus, sed obstat usus. Ostendi eadem ratione possunt licentiae in trochaico generere, & dari inde ratio, cur viii veniat in nonnullis hexametris ab initio ponere anapaeſſum, & si qua sunt alia. Multum talia iuuant ad puerilia eriam tractanda cum ratione, & adfuefaciendo sensum cereos fleeti animos ad seria.

s. CI. Si syllabae longae & breues ita misceantur, ut volupias aurium producatur, inest orationi NVMERVS.

Definitionem realem, quam nominalem afferre vñsum est satius de re, cuius ipsa existentia saepe vocata in dubium. Nunc constituitur iudex experientia. Pertinet numerus ad gustus §. 92.
quis

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 35

quis de iis disputaret? Aliorum, quorum omnium instar Cicero, satis ex nostra parte pugnat experientia, adeo, ut ex ipsius & reliqui Grammaticorum gregis iudicio, neutiquam in sola tonicarum syllabarum varia dilpositione queratur, sed in longitudine etiam & breuitate syllabarum tono desitutarum, quarum diversitas non distinete quidem exprimitur a non scandente, confusa tamen animis obuersatur, adeoque ad iudicium aurum sufficienrem materiam suppeditat. Si epim de tonicis tantum earumque positiu penderet numerus, quare, quaeſo, damnaretur ea periodi clausula: petrum videatur, laudaretur: esse videatur? Idem tonus, non eadem vero quantitas poetica. In græcis res apertissima, si enim sumas accentus eorum signa toni, oculi ipsi poetas inspiciens docebunt, ne minimum quidem ordinis aut mensuræ adhibitum in disponendis tonicis syllabis, quamvis multi in obseruandis quantitatibus sint satis accurati. Conf. Iac. Carpouii meditatio de linguae perfectione §. 243. 244.

§. CII. Numerus voluptatem auribus creat §. 101. ergo est poeticus §. 95.

§. CIII. Numerus per omnes orationis syllabas ordinatas voluptatem aurum promouens est METRVM, per aliquas tantum & sine certo quidem ordine sibi succedentes syllabas eandem determinans, est RYTHMVS. Quum ergo plura in metro, quam rythmo faciant ad voluptatem aurum, maior ex illo, quam ex hoc redundat, adeoque metrum est poeticum §. 95.

§. CIV. CARMEN est oratio empergat, sive ligata, ergo ad perfectionem poematis facit esse carmen §. 103. II.

§. CV. Non omne carmen poema, carmen metro absolvitur §. 104. in qua ergo oratione metum, ea carmen, iam quum metrum esse possit in oratione, in qua nullæ representationes sensitivæ, nullus ordo lucidus, nulla pu-

ritas, concinnitas &c. esse etiam potest carmen, cui ista desunt, non esse potest poema per §§ antecedentes & §. 9. ergo quoddam carmen non est poema.

Hinc iure tam sedulo inter carminissem & poetam distinguunt, & euculli illi piperis & assae, qui euduntur quotidie, carmina salutantur, nunquam poemata, plurima quia pars tam austro rubesceret titulo, charta si erubesceret, aut parentum impudentia foetus ipsos non inquinaret.

§. CVI. Paronomasiae finales, quae rythmi nunc vocantur contra usum genuinum §. 103. litterarum lusus in acrostichis, figurarum expressiones e. g. crucis, piri, coni &c. & huius surfuris plura aut apparentes sunt perfectiones, aut determinantur per iudicium aurium certi populi particulare, similiter quae lyricum, epicum, dramaticum cum subdivisiis generibus singularia habent, conuenire quidem debent cum essentialibus perfectionibus, sed demonstrari non possunt, nisi ex specierum quarumuis definitiobibus determinatoribus. Cantus & actio sive recitatio pathetica modi itidem, quum mirifice tamen faciant ad finem poematis, tanti etiam aestimati sunt veteribus, suis cancellis inclusi, quos si erumpunt, ut nostra nunc theatra excedunt, impediunt potius quam promouent ex poema te oriundam delectationem. Talia dicta saepius non dicenda sunt iterum.

§. CVII. Quum metrum ideas sensuales producat §. 103. 102. eae vero extensiue clarissimae adeoque maxime magisque poeticae, quam minus clarae §. 17. metri leges accuratissime obseruari admodum poeticum. coll. §. 29.

Legitimum debemus sonum digitis & aure callere Plauti-
vi

DE NONNVLLIS AD POEMA PERTINENTIBVS. 37

*ni numeri nimium patienter, ne dicam stulte laudantur, & quam-
quam nostra praesertim actate*

*Non quiuis videt immodulata poemata iudex,
Et data Romanis venia est indigna poetis,
Idcircone vager, scribamue licenter, an omnes
Visuros peccata putem mea?*

§. CVIII. IMITARI si de persona dicatur, imitatur
aliquid, *qui illi simile producit?* Hinc effectus similis alteri
IMITAMEN eius dici potest, siue ex intentione, siue a-
lia ex causa talis factus sit.

§. CIX. Poema, si imitamen dicatur naturae aut a-
ctionum, effectus esse iubetur similis a natura productis. §.
107.

Saltantes Satyros imitabitur Alpheisboeus.

§. CX. Praesentationes a natura i. e. intrinsecō mu-
tationum in vniuerso principio, & inde pendentibus aetio-
nibus producenda immediate nunquam distinctae & in-
tellectuales, sed sensitivae, extensive tamen clarissimae §.
24. 16. tales & poeticæ §. 9. 17. ergo natura (liceat de phoe-
nomeno substantiato cum actionibus inde pendentibus lo-
qui tanquam de substantia) & poeta producunt similia §.
26. Hinc poema est imitamen naturae & actionum inde pen-
dentium §. 108.

§. CXI. Si quis poema per orationem ligatam (carmen
§. 104.) imitamen actionum vel naturae definiret: duas notas
habet praecipuas per se inuicem non determinatas, deter-
minandas ambas ex nostra §. 104. 109. ergo consentien-
tes videmur ad essentiam poematis accessisse forsitan pro-
pius.

Vid. Aristoteles de arte poetica C. I. Vossius de artis poeticae natura & constitutione c. 4. §. 1. Celeb. IOH. CHRIST. GOTTSCHEDIVS in arte critica poetica p. 82. 118.

§. CXII. VIVIDVM dicimus, *in quo plura varia, seu simultanea fuerint, seu successiva, appercipere datur.*

Conferatur definitio cum vsu loquendi, vbi diuerfissimis coloribus illitam picturam, ein lebhafstes Gemähylde, eam orationem, quae plura varia appercipienda offert, tam in fono, quam signatis, einen lebhafsten Vertrag, consuetudinem, in qua somni nullus metus ob varias actiones sibi continuo succedentes, einen lebhafsten Umgang nuncupamus.

§. CXIII. Si quis cum Vener. ARNOLDO, in dem Versuch einer Systematischen Einleitung zur teutschen Poesie, poema definiter per orationem, quae cum observatione sonorum (metro) rem, quam fieri potest, viuidissime repraesentet, & omni conceptibili vi in animum lectoris ad eum certo modo commouendum se insinuet, notas has constituit: 1) metrum, 2) repraesentationes, quae esse possunt, viuidissimas, 3) ad commotionem lectoris tendentem actionem in animum eius. Prior determinatur ex nostra §. 104. 2) sunt extensiae clarae coll. §. III. & 16. tertia fluit ex nostra per §. 25. 26. 27.

§. CXIV. Definitio poeseos Ven. WALCHII in Lexico Philos. quod sit species eloquentiae, qua auxilio ingenii (hoc solum non facit poetam) cogitationes primarias (themata) variis ingeniosis & lepidis cogitationibus, aut imaginibus, aut repraesentationibus vestimus, sive soluta, sive ligata fiat oratione, nimis lata, & quae linguam affectuum vocat, nimis angusta videtur, quae tamen poesi iure tribuuntur ex nostra itidem determinabilia.

§. CXIV.

§. CXV. Philosophia poetica est per §. 9. scientia ad perfectionem dirigens orationem sensitivam. Quum vero in loquendo representationes eas habeamus, quas communicamus, supponit philosophia poetica facultatem in poeta sensitivam inferiorem. Haec in sensitivae cognoscendis rebus dirigenda quidem esset per Logicam sensu generaliore, sed qui nostram scit logicam, quam incultus hic ager sit, non nesciet. Quid? si ergo, quos arciores in limites reapse includitur LOGICA etiam per ipsam definitionem in eodem redigeretur, habita pro *scientia vel philosophice aliquid cognoscendi, vel facultatem cognoscitivam superiorem dirigente in cognoscenda veritate?* Tunc enim daretur occasio philosophis non sine ingenti lucro inquirendi in ea etiam artificia, quibus inferiores cognoscendi facultates expoliri possent, acui, & ad emolumendum orbis feliciter adhiberi. Quum psychologia det firma principia, nulli dubitamus *scientiam dari posse facultatem cognoscitivam inferiorem, quae dirigat, aut scientiam sensitivae quid cognoscendi.*

§. CXVI. Existente definitione, terminus definitus excogitari facile potest, graeci iam philosophi & patres inter *auditoria* & *ventra* sedulo semper distinxerunt, satisque apparet *auditoria* iis non solis aequipollere sensualibus, quum absentia etiam sensa (ergo phantasmatata) hoc nomine honorentur. Sint ergo *ventra* cognoscenda facultate superiore obiectum logices, *auditoria epistymus* *auditorium* sive AESTHETICAE.

§. CXVII. Philosophus, ut meditatur, ita proponit, hinc in proponendo nullae aut paucissimae peculiares regulae

lae obseruandae. Terminos non curat , qua sunt soni articulati, eatenus enim'pertinent ad *αὐθῆτα*. Horum maiorem habere tenetur rationem sensitiae proponens , hinc aesthethicae pars de proponendo prolixior esset, quam logicae. Iam quum perfecte hoc fieri possit & imperfecte, hoc doceret **RHETORICA GENERALIS** *scientia de imperfecte repraesentationes sensitiuas proponendo in genere,* & illud **POETICA GENERALIS** *scientia de perfecte proponendo repraesentationes sensitiuas in genere.* Tam illius in sacram & profanam, iudicialem, demonstratiuam, deliberatiuam &c. quam huius in epicam , dramaticam , lyricam cum variis speciebus analogis divisiones relinquent philosophi harum artium rhetoribus , qui historiam & experimentalē carum cognitionem animis inservent. Ipsi in demonstrandis generalibus & definiendis praeſertim accuratis poſeoſ & eloquentiae pedestris limitibus occuparentur , quae gradu quidem ſolo diſterunt, determinandis tamen quantitatibus huic illiue licitis non minorem opinamur geometram requirunt, quam Phrygum Myſorumque

F I N E S.



Da 331. (1)




5b.

10 M



Farbkarte #13



MEDITATIONES PHILOSOPHICAE
DE
NONVLLIS
AD
POEMA
PERTINENTIBVS,
Q V A S
AMPLISSIMI PHILOSOPHO-
RVM ORDINIS
CONSENSV
AD D. SEPTEMBRIS MDCCXXXV.
H. L. Q. C.
ERVDITORVM DIIVDICATIONI SVBMITTIT
M. ALEXANDER GOTTLIEB
BAVMGARTEN,
RESPONDENTE
NATHANAELE BAVMGARTEN.

HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS IOANNIS HENRICI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.